

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 692

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

683

C O D I C E S . I

684

usque ad Sermonis 22. verba: *ad earum rerum intelligentiam, quas concupuerat scire &c.* quae sunt edit. n. 8. Demum Sermo, ut supra dixi, 25. sicut in iis verbis: *que sunt in lege tua de gratia tua. ut non sit in me —* quae habentur edit. n. 5.

CCCXXVIII.

R. 3170 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 138. f. maj. per duas columnas luculente, pulcreque perscriptus, et rubricis enotatus ita insignitur: *Incipit prologus in Omelias aurelij Augustini.* Verum ne putas in omnes, post Prologum *Incipiunt omelie aurelij Augustini de psalmo centesimo. VIII^o. decimo. Homiliis XXXII.* beatus Pater hunc Psalmum, uti notum est, exposuit, atque hae omnes in Codice rite sequuntur, singulae in tres veluti Lectiones per margines divisae. Collatae cum edit. Maur. T. IV. col. 1277. non unam varietatem ab Editoribus illis præteritam obferunt. Ita v. g. in Prologo pro ejus profunditatem legunt altitudinem. In Homilia I. ut beatitudinem quaeramus pro ad beatitudinem, item deditus est, ut luxuria stuprisque corrumpatur pro deditus luxuria stuprisque corrumpitur, item voluntatem laetitiamque, pro voluptatem laetitiamque, item inimicorum sanguinem omisso fundere, item Non hac via itur illic quo pro Non illac itur qua, item itinera ista quae pro itinera ista qua &c. In fine Hom. IV. glorificabor in te pro gloriabor in te

In fine Hom. IX. exerceretur, meditaretur, precaretur, pro exercetur, meditetur, precetur. In fine Hom. X. contradicitur longitudine pro contradicitur longitudini. Atque haec probabilia delibata sufficiant ad ostendendam Exemplaris utilitatem

Fol. 71. *Incipit Explanatio sancti Augustini episcopi. In canticum graduum. Aliter. Incipit tractatus psalmi centesimi Nonidomi. Psalmos XV. a XIX. usque ad XXXIII. inscriptos Cantica Graduum totidem Enarrationibus prosecutus est Augustinus, quae T. supracit. leguntur a col. 1364. Initium est: Brevis Psalmus. et ualde utilis ad cantandum nobis. Cantatum audiuimus et cantando respondimus &c. Jam haec paullo ab Editis differunt. Itaque et per decursum nonnunquam varia occurrit lectio. Sic in Psalm. XIX. qui modo in his psalmis pro quomodo in his psalmis. Ipse tibi se fecit patiendo pro Ipse tibi fecit patiendo. Sputis illitus pro Sputis illitus. Transeuntia, hic pro Transeuntia haec. Quanta poterat pro Quantum poterat. Nam ubi ait, sive enim mente excessimus, deo, ibi statim addidit, sive temperantes sumus, uobis, pro Nam ibi ait, sive enim mente excessimus, deo, sive temperantes sumus, uobis. Nascendo et moriendo pro Nascendo et patiendo &c. Ad rō linguis aduersantium additur in margine Pöss Zungen, unde Codicem in Germania scriptum liquet. Clausula finalis habet: Explicit tractatus aurelij augustini episcoli*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 692

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

685

P A T R I S T I C I .

686

scopi in canticum quindecim graduum, cui adjicit manus Sec XV. Qui perlegitur per 7. annos. Puto de Lectione in Triclinio religiosae cuiusdam Familiae intelligendum esse.

CCCXXIX.

R. 10 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 144. f. maj. eleganter per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus, olim Congregationis S. Justine de padua, deputatus in monasterio sancti seuerini de neapoli, ut ad oram infimam fol. 1. dicitur, varia D. Augustini continet Opera, et hoc quidem ordine: I. Sermones LVI. atque inter eos, quod non nisi post diligentem inquisitionem adsero, XXV. ignotos, avendentes, et, nisi me omnia fallunt, paene omnes Augustini genuinos, quos etiam typis Trattnerianis in lucem dedi a. 1792. f. unde mirum Codici huic pretium conciliatur, qui Benedictinorum fuit, et maxime oculatos Benedictinorum, Maurianos nempe, effugit. Praemissus est illis Elenchus, in quo Sermones singuli Capitum donantur nomine, quique sic habet: Sermo de laude Cerei. Capitulum primum. Inscriptio fol. 1, p. 2. Sermo sancti aug. ep. In Sabbato sancto. Init: Deo et domino nostro omnipotenti uisibilium atque inuisibilium creatori honorem deferens. orationibus uestris iuuandum me credo. ut quod in laudem et gloriam indulgentissimi creatoris dicere suscepi. non tam meis uiribus quam ipsius domini miseri-

cordia adiuuante explicare sufficiam. Finit: Quis non letus aspiciat, iacere super terram catulum leonis occisum. Confirmatur hoc Sermone Cerei Paschalis antiquitas, cuius ellychnium etiam hic Autor papyrum vocat: Tria conspicuntur in cereo. Cera papyrus et flamma. Quod adde Ducangio v. Papyrus. Ubi edit. Mauriana non meminero, Sermonem novum puta.

Item eiusdem. In uigiliis pasche. Cap. II. Inscriptio fol. 2. Sermo Sancti Aug. ep. in uigiliis pasche. Init: Multas diuinias letiones audiuiimus. quarum prolixitati parem sermonem nec nos ualemus, nec uos capitatis si ualeamus. Quantum ergo dominus donat. loqui uolumus caritati uestre de ipso capite scripturarum. ubi cum legeretur audiuiimus. quia in principio fecit deus celum et terram. Finit prolixus: nisi in eternum uiuerent abraam. ysaac. et iacob.

Alius ejusdem. In die pasche. Cap. III. Inscriptio fol. 4. De die pasche. Sermo sancti aug. ep. Init: Post laborem preterite noctis &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 228.

Alius de sacramentis in eodem die. Cap. IV. Inscriptio fol. 4. p. 2. Incipit alius de sacramentis in eodem die. Sermo sancti aug. ep. Init: Reddendi sermonis officium et cura qua uos parturiuimus, ut christus formaretur in uobis. compellit nos ammonere infantiam uestram. Sermonem hunc illum puto, de quo Augustinus Serm. mox supra cit. ait: Sermonem ad altare dei debemus hodie Infantibus de Sacramento